

Folium *verticale* est pulchrum vocabulum folii, quod assumam.

*Hieracium intybaceum* Dentis leonis folio bulbosum, Magn. Annon in hoc sint intrà flosculos paleæ uti in Hypochæro? Ut et in Hypochæro porecellia?

*Jaceam Babylonicam* adè imperfectè describit C. B. ut nequeam videre utrùm ulla ex Hasselquistianis sit eadem.

*Carlina sylv. minor Hispanica*, Clus. cui non convenit nomen meum; vide librum, est hoc tuum nomen.

*Erigeron graveolens* pulchrè à te descriptum fuit.

*Buphtalmum Dulcinea*. Habetur inter Anthemides, et est ultima.

*Cardamine impatiens* tua, certè alia est. Folia diversa ex tuâ figurâ; certè non habet petala; crescit in hortis umbrosis.

*Cardamine lutea* tua, est diversissima à meâ *stoloniferâ*, cui flores omninò albi.

*Sinapis* nulla alia à me dicitur planta, quam cui calyx patentissimus.

Vellem lubentissimè mittere Manetto et *Species* et *Genera*, sed si modò scires quàm mihi sit difficile, primò mittere terrestri itinere Holmiam, dein inquirere in navem qui eò appellat, et tertio obtinere virum qui assumat et mittat, etc. Si poterim